

rem, hoc est, pretiosa illa vulnerum suorum stigmata, quibus mundum redemit, quibus de hujus mundi principe triumphavit, quibus cælestis regni occlusas fores aperuit, quæ ad sempiterni hujus triumphi memoriam non in sericis tapetibus, sed in suo corpore reliquit, in amici sui corpore imprimere dignatus est.

Quid hoc beneficio majus? quid hoc privilegio sublimius? quid hoc opere mirabilius? Filius Petri Bernardonis, a patre olim in vincula ceu stultus conjectus, propter immaculatæ vitæ puritatem eo celsitudinis a puritatis amatore enectus est, ut solus ipse cum Christo post resurrectionis gloriam his humanæ salutis insignibus inter sanctorum omnium choros effulgeat. Nec enim, quam ejus corpori gloriam contulit, in resurrectione auferet. Quantum ergo divinæ erga sanctum virum dilectionis hoc indicium & argumentum fuerit, Jonathæ Saülis filii exemplo intelligere licet, qui Davidem, a cæde Goliae redeuntem, ejusque caput in manu gestantem, tanto amore prosequutus est, ut quemadmodum animam suam, (a) ita illum dilexisse se-

ratur. In cujus rei argumentum (b) expoliavit se Jonathas tunica sua, deditque Davidi; nec non & reliqua vestimenta, usque ad gladium, & arcum, & balteum. Itaque magnus ille amicus, qui se totum arque animam suam amico tradidisset, si potuisset, quum hoc non posset, vestibus suis & armis illum insignivit atque decoravit. Si igitur vestium & armorum donatio pro maximo amicitiæ argumento in sanctis literis memoratur; quale, quæso, fuit, non vestem aut arcum aut gladium, quæ extra corpus sunt, sed ipsa sacrorum vulnerum stigmata, quæ Christus Dominus in corpore suo gestabat, in amici sui corpus transferre? Ea igitur hujus amicitiæ magnitudo exstítit, ut posteaquam alia omnia tradidisset, nullo modo conquiesceret, nisi hoc etiam, quod uni sibi Dominus reservaverat, quodque nemini haec tenus concederat, in unum Franciscum contulerit. Quis igitur hic non exclamat? quis non hanc tantam Dei nostri fidem, bonitatem, suavitatem & caritatem erga fideles servos suos non miretur, non adoret, non obstupefcat? Hunc igitur, fratres,

(a) 1. Reg. 18. 1. 3. (b) 1. Reg. 18. 4.

tres, Dominum toto cordis affectu diligamus, hunc imis visceribus condere studeamus, illum dies noctesque cogitemus, sanctissimas illius leges semper ante oculos habeamus, ob ejus amorem, si ita o-

pus fuerit, mori parati simus, prius quam ejus leges infringamus: ut sic tandem, adspiriante ejus gratia, per obedientiam mandatorum pervenire mereamur ad regnum cælorum.



IN EODEM FESTO B. PATRIARCHÆ FRANCISCI CONCIO TERTIA,

IN QUA, POST EVANGELICÆ LECTIONIS explanationem, de singularibus sanctissimi patris hujus virtutibus & meritis agitur.

THE. Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.
Eccli. L. 10.

**** Agna nobis hodie,
* M * dilectissimi, provinciæ ad dicendum
**** proposita est, ad quam nulla dicendi facultas par esse queat. Ut enim inter aves non nullæ sunt, quæ adeo pernici volatu in supera loca ferantur, ut pene visum effugiant; ita inter sanctos non nulli reperiuntur, quorum altissimas virtutes mens humana comprehendere, ac multo minus verbis explicare valeat.

Quod de beatissimo patre Francisco intelliget, quisquis ejus vitam, & clarissimas virtutes, atque innumera prope miracula, studiose perlegerit. Non tamen arbitror, sacratissimæ Virginis opem in beati servi sui Francisci laudibus prædicandis defuturam, quando is eam torno vitæ suæ tempore singulari quadam religione ac pietate coluerit: causamque hujus tantæ erga illam dilectionis & religionis ajebat el-

esse, quod ea Dominum majestatis, fratrem nostrum efficerit. Non potuit paucioribus verbis hoc tam ingens debitum amplificari. Quid enim maior, quid sublimius, quam vilem homuncionem atque vermiculum habere unigenitum Dei filium, qui omnia potestate infinita complectitur, non modo patrem, sed fratrem etiam, os nostrum & carnem nostram? Quam rem non solum immensa Christi bonitati, sed magna etiam ex parte ejus gloriose genitrici debemus. Quin & illud piissimum sancti patris affectum erga Virginem augebat, quod novae vitae suae initium & finem in quadam Virginis ecclesia, quæ sancta Maria de Portiuncula vocatur, habuisset. In ea enim evangelicæ vitae institutum cœpit, ad eamque morti jam proximus se deportari mandavit; ut ibidem vivendi finem faceret, ubi, ejusdem Virginis ope adjutus, novae vitae initium sumpserat; eumdemque locum in magno honore atque reverentia a fratribus suis haberi præcepit. De hujus igitur viri sanctissimi virtutibus hodie dicturi, cælestem opem, ejusdem sacratissimæ Virginis interveniu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Prius quam id, quod proponimus, expedire incipiamus, evangelica lectio, quæ maxime cum beatissimi Francisci instituto cohæret, paucis explicanda est. In ea igitur amator hominum Dominus Jesus cælesti Patri gratias agit, quod evangelicæ doctrinæ mysteria, quæ aditum nobis ad sempiternam felicitatem patefaciunt, prætermis prudentibus & sapientibus sæculi, parvulis, hoc est, rudibus pescatoribus, voluerit manifestare; ut ipsi alios doctrina sibi divinitus tradita imbuentes, ejusdem felicitatis consortes efficerent. Cur autem hujusmodi operarios ad hoc tantum opus cælestis Pater elegerit, non aliam causam filius, quam ejus rectissimam voluntatem assignat, quæ certissima totius æquitatis & justitiae regula & norma est. Ferunt, Pythagoræ discipulos tantam fidem præceptoris sui placitis habuisse, tantaque illum religione coluisse, ut quavis argumentatione firmior apud illos ejus auctoritas esset. Itaque usitatum apud illos argumentum erat: ipse dixit. Quanta vero fuerit apud homines Catonis Uticensis auctoritas, declarat

in-

insignis poëta, qui de civili inter Cæsarem & Pompejum bello scribens, sic de illo ait: (a)

..... *Quis justus induit arma,
Scire nefas: magno se judice
quisque tuetur:*

*Victrix causa Deis placuit,
sed victa Catoni.*

Si ergo tanta hominibus auctoritas tribuitur, quanta, quæso, immensa illi sapientia & æquitati tribuenda est? Valeat ergo apud nos, fratres, in omni humanarum rerum inæqualitate hæc sola oratio: (b) *ita, pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Hac enim sola oratione inter tot calamitatum procellas se sanctus Job consolabatur, quum diceret: (c) *Dominus dedid, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*

Subdit deinde Dominus: *omnia mibi tradita sunt a patre meo. Et nemo novit filium nisi pater; nec patrem quis novit nisi filius, & cui voluerit filius revelare.* Sunt inter fideles multi, qui afflictari solent, quum salutem suam non tam in se, quam in divina dispensatione, sitam esse audiunt: perinde atque tutius ea in suis manibus, quam in divinis, posita esset. Ut

Tom. III.

igitur vanæ horum sollicitudini Salvator occurreret, eam in suis manibus a patre positam esse declarat: qui nullo modo, quod ad se attinet, ovem eam perire patietur, quam is multo labore quæsitam super humeros suos bajulavit, & pro cuius salute innocentes in cruce manus clavis terebrari atque transfigi passus est. Quod intelligens vates regius, his manibus spiritus sui salutem firma fiducia committebat, quum diceret: (d) *in manus tuas, Domine, commendabo spiritum meum.* Cur hoc? Subdit hujus fiduciae causam: *redemisti me, Domine, Deus veritatis.* Cujus enim manibus fidentius spiritum meum commendare potero, quam iis, quæ pro me redimendo ligno crucis affixa sunt?

Ut autem hanc salutis nostræ curam ac desiderium Salvator infirmis mentibus ostenderet, omnes ad se homines his amantis verbis advocat: (e) *venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, &c. Fugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Hoc est, quod sæculi homines cre-

K de-

(a) *Lucanus, Civ. belli, lib. I. a vers. 126.* (b) *Matth. 11. 26.* (c) *Job I. 21.* (d) *Psalm. 30. 6.* (e) *Matth. 11. 28. 29. 30.*

dere nullo modo possunt. Jugum enim diaboli atque mundi suavissimum esse credunt, quod largam voluptatibus licentiam præbeat: tuum vero jugum, Domine, importabile esse prædicant, quod eas frenare & cohibere, carnemque spiritui servire jubeat. Jubet plane: quod quidem rerum divinarum imperitis difficile esse apparet, non iis, qui divinæ caritatis vim experti sunt. Quum enim incensa in Deum caritas ipsi super omnia placere desideret, intelligatque, labores propter ejus amorem alacriter susceptos, gratissimos illi esse; nihil magis cupit, quam variis propter eum laboribus constituti. In cuius rei fidem cunctorum martyrum alacritatem, & patiendi sitim afferre possem: sed, his omnibus prætermisis, unius D. Gregorii (a) exemplum in medium afferam. Quum is igitur gravissimo quodam morbo laboraret, cuius erat remedium, per singula pæne momenta cibo refici, idque instante dominicæ resurrectionis vigilia pateretur; majori se tristitia affectum fuisse scribit, quod eum diem jejuno prævenire & sanctificare non posset, quam quod letifero illo

morbo premeretur. Quocirca sanctissimum quemdam virum, signis atque miraculis celebrem, obnixe rogavit, ut facultatem sibi eo die jejunandi a Domino impetraret: quod & factum est. Videris ergo, fratres, quid præstet in Deum incensa caritas. Tantum enim abest, ut labores religionis gratia susceptos horreat, ut illis carere mortis instar esse ducat. Hinc D. Bernardus: *in eo, inquit, quod amat, aut non laboratur, aut etiam labor amat.* Indicio nobis erit mater, * quæ filiolum nutrit, quæ tamen nutritionis diurnum pariter & nocturnum laborem alacriter & libenter propter sobolis amorem perfert. Hunc igitur erga Deum amorem, fratres, continuis precibus & genitibus a Domino flagitemus, ab eoque contendamus, ut caritas Dei per Spiritum sanctum diffundatur in cordibus nostris: hac enim caritate incensi atque adjuti, facile fiet omne difficile. Haec tenus de evangelica lectio: nunc ad beatissimi Francisci laudes recurrat oratio.

Tractatio thematis.

S. I.

Jam primum constat, fratres
di-

(a) *Gregor. Dialog. lib. III. cap. 33.*

dilectissimi, primam omnium divinorum operum causam esse, divinam bonitatem: omnia vero Dei opera, quæ pæne sunt infinita, ad duo potissimum capita referri. Sunt enim naturæ, sunt gratiæ opera; quæ omnia ab illo inexhausto divinæ bonitatis fonte diminant. Non enim ulla necessitate, sed sola bonitate inductus, omnia, quæ in cælo, terra, marique continentur, condidit. Eadem bonitas illum impulit, ut hominum mentes gratiæ suæ opibus sanctificaret, easque sibi similes redderet. Eademque bonitas fecit, ut post oblatum in cruce sacratissimi corporis sui sacrificium, & Spiritum sanctum e cælis in apostolorum pectora, & apostolos ipsos in mundum mittet; qui ad gratiæ & gloriæ suæ opes mortales cunctos sine ulla generis aut sanguinis discretione invitarent. In calum igitur, unde ad nos venerat, regressurus, hæc ad discipulos novissima verba, juxta Matthæi evangelium, dixisse memoratur: (a) *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Quoniamque ad hoc omnium o-

K 2 de-

(a) *Mattib. 28. 19.20.* (b) *Ibid.v.18.* (c) *Vers.20.* (d) *Joan.17.2.*

dedisti ei, videlicet filio tuo, potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam eternam.

Quia vero salutarem hanc opem atque præsentiam suam nequaquam brevi illo temporis spatio defiauit, sed omnibus diebus usque ad consummationem sæculi duraturam promisit; ut quos pretioso sanguinis sui crux a peccati servitute redemerat, eosdem, jam a peccatis purgatos, ad cælestes sedes evocaret: ideo quæ illum bonitas impulit, ut iturus in cælum discipulos suos ad hoc opus destinaret, eadem etiam, quandiu mundus superstes fuerit, ad eamdem curam, idemque misericordiæ officium impellet. Apostolis igitur & vita & officio suo defunctis, alios deinde operarios ad ecclesiæ suæ vineam excolendam conduxit, hoc est, sanctos ecclesiæ doctores & pontifices, qui ab eodem Domino missi, & eodem spiritu acti, in eadem vineæ cultura strenue laborarunt. Prætereo hic sanctorum monachorum & anachoretarum examina, & eorum præcipue, qui monasticæ vitæ fundamenta jecerunt, qualis magnus ille Antonius Ægyptius, Basilius, Benedictus atque Bernardus ex-

stitere. Venio ad vicina temporibus nostris sæcula, quæ novissima esse putantur. Hac igitur hora, pæne undecima, duos eodem tempore apostolicos & evangelicos viros sollicitus patræ familias ineffabili pietatis suæ providentia destinavit, qui duorum clarissimorum in ecclesia ordinum fundatores & auctores exsisterent; ut non ipsi tantum, sed eorum etiam sestatores, in toto terrarum orbe, in omnibus oris & gentibus, ad finem usque mundi hanc vineam excoherent, hoc est, animalium saluti operam darent. Estque res plane admiratione dignissima, quum tanta sanctissimorum virorum inopia in mundo sit, uno atque eodem tempore hæc duo maxima luminaria in mundo orta fuisse, quæ non modo apostolicæ vitæ clarissimum specimen ederent, sed etiam apostolica signa, & ingentia miracula, eadem fide & potestate patrarent. Morbos enim omnis generis sanabant, mortuos ad vitam revocabant, dæmonibus imperabant, & omnia naturæ iura, veluti Dii quidam terrestres, & omnium rerum domini, pro voto suo immutabant.

Si quis autem hæc ipsa, quæ di-

diximus, paullo attentius considerayerit, intelliget plane, horum sanctissimorum patrum singulares vereque mirabiles virtutes extitisse, nec tamen incredibiles, quamvis esse videantur. Cujus rei causam paucis explicare tentabo. Est igitur intelligendum, auctorem naturæ & conditorem Deum sic res a se conditas instituisse, ut easdem veluti per classes & ordines distribuerit, atque unicuique ordini rem aliquam, ejusdem ordinis maxime insigne, veluti regem quemdam illis perfectionis causam afferret, tantoque illis esset perfectior, quanto rex civibus suis præstantior est. Sic igitur in classe corporum calidorum ignis principatum obtinet, qui cunctis corporibus, calidus ipse, caloris sui causam afferret, ea que omnia calefaciendi virtute longe superat. Sic etiam in ordine lucidorum corporum Sol principem locum tenet, & sideribus cunctis ita lucem præbet, ut nullum eorum Solis splendorem aquare possit. Quum igitur rerum omnium Dominus & naturæ & gratiæ auctor sit; nihil mirum, si quem ordinem in naturæ operibus posuit, eundem in ope-

Tom. III.

K 3

car-

(a) *I. Corinb. II. 1.*

ribus gratiæ retineat. Quem quidem ordinem & in se ipso, qui sanctorum omnium sanctificator est, & in apostolis declaravit, quos ecclesiaz suæ principes, atque salutis & justitiae ministros, & omnium virtutum exemplar constituit. Hinc unus eorum ceteros fidèles ad sui imitationem his verbis provocat: (a) *imitatores mei effote, sicut & ego Christi.*

Ad hunc ergo modum hos duos sanctissimos viros Dominus destinavit, ut evangelicæ vitæ doctores atque ductores exsisterent: unde consequens erat, ut qui aliis in religionis & sanctitatis ministros atque virtutis exemplum dati essent, longissimo intervallo sanctitatem eorum superarent, qui sub eorum institutis & regula militarent. Quod intelligens beatissimus pater Franciscus, supra vires, & supra modum corpus suum variis morbis pæne confectum, jejunis, vigiliis, itineribus, novisque laboribus atterebat. Quumque hujus rei gratia a fratribus objurgaretur, quod qui carnem jam haberet plenissime spiritui obsequenter, tot illam modis affligeret: ille respondebat, se aliis in virtutis exemplum datum esse, ideoque quod frenandæ

carni minus necessarium erat, ad aliorum virtutem excitandam esse necessarium. Sic enim domini sui exemplo justitiam omnem vir sanctus implere curabat. Constat igitur ex his, verum esse, quod initio diximus, beatissimum hunc patrem, quem Dominus celeberrimi ordinis patriarcham, principem & columnam, & clarissimum virtutum omnium exemplar esse volebat, omnium virtutum ornamenti supra omnes ejus sectatores, velut quedam inter sidera Solem, donatum ab eo fuisse. Cujus rei fidem facit commissi munera dignitas. Quis enim impossibile aut incredibile esse credat, quod immensa illa bonitas atque potentia facere constituit, quamvis id communem hominum fidem superare videatur? (a) *Omnia enim quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* De potentia igitur dubitare nemo potest, ac multo minus de voluntate; quem ad ejus sapientiam pertineat, quæ in summo ecclesiæ cardine collocare decreverit, summis virtutibus exornare.

§. II.

De eximia igitur hodie beatissimi Francisci sanctitate vir-

(a) *Psalm. 134. 6.*

tutibusque dicturi, appositiissime hanc illi sententiam accommodavimus: *quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.* Auri enim nomine caritatem, quæ virtutum omnium princeps est; lapillorum autem appellatione virtutes accipimus, quæ ut caritati deserunt, ita caritatem ipsam exornant. Sic tamen virtutum ejus narrationem instituemus, ut, quem vivendi ordinem retinere debeat, quisquis ad perfectioris vitæ studium adspirat, in sermone nostro explicemus.

Quicumque igitur in hoc virtutis curriculo exerceri cupit, veræ humilitatis ante omnia solida fundamenta jaciat. Ut enim ædificaturi domum ruderâ prius omnia fodiendo egerunt, ut ad firmum solum perveniant, supra quod dominum ædificant: ita vir pius, viribus suis industriaque, quæ solidæ firmitatis nihil habent, diffusus, firmæ petræ, hoc est, divinæ gratiæ præsidio innititur; hic enim prior vera humilitatis gradus existit. Alter vero est, ut homo & naturæ suæ imbecillitatem, & præteritæ vitæ maculas agnoscat, sequæ ob eas, quantum fieri possit, interius exteriusque sub-

mis-

missio atque humili animo gerat, nullique se præferens, omnibus se inferiorem, divinaque gratia indignorem judicet. Hanc igitur virtutem, quæ aliarum omnium & decor & custos & fundamentum est, tamquam veram paupertatis evangelicæ germanam, & a Christo Domino ad imitandum nobis propositam, maximo studio pater sanctissimus coluit; quæ tanto in eo exstitit mirabilior, quanto ejus vita exstitit sanctior. Judicio quidem & estimatione sua nihil erat nisi peccator, quum re vera totius probitatis exemplar esset. Super hanc igitur studuit ædificare se ipsum, atque ut sapiens architectus hanc vitæ morumque suorum fundamentum esse voluit. Ajebat præterea, virtutis hujus stabiliendæ gratia majestatis Dominum ad infima nostra descendisse, ut non modo verbis, sed totius vitæ atque mortis suæ exemplis humilitatem doceret, humilitatem prædicaret, atque ingentes humilitatis opes hominibus commendaret. Admonebat, mundi laudibus atque vocibus servorum Dei aures esse occludendas; nec se quemquam hominem judicio, sed divino, meti-

ri debere. Tantus enim, ajebat, quisque est, quantus est in illius oculis, qui (a) spirituum ponderator est, qui (b) renes scrutatur & corda. Sape enim (c) *quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Unde quum beatus pater ab aliis laudaretur, dicere solitus erat: adhuc filios & filias habere possum: adhuc in freto, non in portu navigo: nolite ergo me laudare ut secundum. Nemo enim laudandus, cuius incertus est exitus.

Denique adeo virtutis hujus amator exstitit, ut quemadmodum reges a nobilissima regni sui civitate nomenclaturam titulumque accipiunt; sic ipse, quem instituebat ordinem, ab hac nobilissima virtute nomen sortiri voluit, ut is videlicet *minorum ordo* appellaretur, quod est humilitatis insigne, & qui ceteris in eo præficerentur, non prælectorum, sed ministrorum nomen haberent: ut utrosque ipsum professionis & officii nomen, humilitatis admoneret. Quid autem *minoris* nomen ab hujus instituti professoribus exigeret, vir sanctus his verbis cuidam socio declaravit: nequaquam *minoris* nomen jure mihi tribuere potero,

(a) *Prov. 16. 2.* (b) *Apocalyp. 2. 23.* (c) *Luc. 16. 15.*

nisi ea mente fuero, quam tibi modo describam. Si hoc ipso tempore, quum huic ordini præfectus sum, comitia celebrentur, & ego in eis officii mei auctoritate fungar, fratres autem omnes uno consensu mihi dicant: nolumus te præfeturam hanc administrare, quod illitteratus, elinguis, simplex & rudis sis; tandemque ab illis multis affectus opprobriis ab officio & congregazione expulsus fuero: si hæc, inquam, omnia non eodem vultu, eademque lætitia pertulero, *minoris* nomine indignus sum. Quid igitur hac humilitate altius? quid sublimius?

Verum hæc omnia humilitatis argumenta illud maxime superare videtur, quod vir sanctissimus, qui tantum perfectionis culmen attigerat, ad sacerdotii munus promoveri ausus non fuit: tanta in eo humilitas, tanta erga divinissimum altaris sacramentum reverentia exstitit. Quo exemplo liquet, quam sit illorum temeritas & audacia accusanda, qui ad sacros ordines illotis, quod ajunt, manibus irrumunt: qui (a) non vocati a Deo tamquam Araon, sed sponte sua summam illam sacerdotii dignitatem,

(a) *Hebreor. 5. 4.*

qua nulla est in terris major, invadunt, qui sacerdotis officio non ad animæ salutem, sed ad terrena commoda augenda, sine ulla animi præparatione, aut divinæ majestatis reverentia, abutuntur. Quia vero obedientia humilitatis legitima soles est, quod vere humili erat, non potuit non esse magnus obedientiæ cultor: idque adeo ut, quod nemini haecenus contigit, ordinis a se instituti præfecturam repudiaret, & qui major erat inter omnes, se minoribus subdere non erubesceret. Ut igitur humilitatis conservandæ gratia sacerdotii dignitatem non admisit; ira obedientiæ amore inductus, præfecturæ officium recusavit. Quam quidem virtutem tanto pere adamavit, ut ad socios aliquando dixerit: hanc de Domini misericordia gratiam consecutus sum, ut tam libenti & placido animo recenti novitio, si is mihi in præfectum daretur, obédirem, quam veterano cuilibet ordinis patri. Subditus quippe præpositum sibi patrem non ut hominem adspicere debet, sed ut illum, pro cuius se amore illi subjecit; qui quanto fuerit vilior, tanto virtus obedientiæ erit apud Deum gravior.

tior. Quum vero ab ipso quæretur, quis esset verus obediens; mortui hominis exemplo id declaravit: tolle, inquit, corpus exanime, & quo in loco volueris reponere: videbis illud nec repugnare motum, nec reclamare dimissum, nec ulla ratione adversus motorem indignari. Hic igitur verus obedientiæ cultor est, qui cur moveatur non dijudicat, ubi locketur non curat, ut alibi reponatur non instat, evectus ad officium solitam servat humilitatem, & quo magis honoratur, hoc se magis honoribus judicat indignum.

Ceterum ut ab humilitate & obedientia, virtutum fundamenta jacentes, ad alias scandamus; tertio loco abstinentia, & carnis maceratio sequitur, quæ carnis superbiam comprimit, eamdemque spiritui subjicit, quæ pro commissis sceleribus Deo satisfacit, quæ ad sacras vigilias, & orationis studia corpus & mentem aptat, ceterisque virtutibus miro modo deservit. Quæ quidem virtus in hoc beatissimo patre tanto fuit mirabilior, quanto is gravioribus stomachi, splenis, hepatis, & oculorum morbis tota pæne vita laboravit. Nam præter consueta ecclesiæ jeju-

nia, & consecratam Christi Domini exemplo quadragesimam, alias ipse sibi quadragesimas simili jejunio observandas proposuerat. Ab epiphaniæ namque festo, eo videlicet tempore, quo Christus Dominus in deserto latuit, solitudinis loca petebat, ibique in cellula relatus, quadraginta dierum spatio jejuniis, vigiliis, orationibus, atque divinis laudibus vacabat. Ad honorem vero beatissimæ Virginis, quam inexplicabili complectebatur affectu, a festo apostolorum Petri & Pauli, usque ad gloriosam ejusdem Virginis assumptionem, devotissime jejunabat. Ad honorem vero beatorum spirituum, qui electorum animas mirifico Dei amore inflammat, indissolubili erat amoris vinculo copulatus. Ideoque ab assumptione Virginis gloriae, totidem quadraginta diebus, jejuniis & orationibus incumbebat. Apostolos vero omnes, præcipueque Petrum & Paulum, propterea quod flagrantissimo Christum amore prosequerentur, eximia caritate diligebat: in quorum gratiam aliam ipsis quadragesiman dedicaverat. Sic igitur verus Christi pauper, qui nihil aliud nisi duo æra minuta, corpus scilicet